



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

68. An mortuo Episcopo casus reservati expiret, ita ut possint absolvi à quocumque Confessario? Et quid, si casus reservati sint per statutum, vel Synodum Diocesanam; aut qui jure, vel consuetudine ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Aliquibus referuat. Ref. LXVIII. &c. 305

Et an. si subditus petat à Prælo omnem eius auctoritatem pro vna vice, & vna persona sibi subiecta, includatur ipse petens, ita vt possit absolui à referuatis ab aliquo alio Confessario?
Idem est dicendum de dispensatione, ac de absolutione.
Ex part. 3. tract. 4. Ref. 141. aliàs 142.

Negativam sententiam mordicus tenet Iacobus de Grassio in appen. ad decr. aur. lib. 3. cap. 8. num. 22. Primò ex præsumpta mente Prælati; quæ magis attendenda est, quam verba ex l. de quibus ff. de legibus. Sed interrogatus Episcopus à Vicario, an etiam illa auctoritate vti possit, diceret quòd non, quia si secus esset perniciosum esset concedenti, quia sic posset dare occasionem peccandi, & qui occasionem peccandi dat, ipse damnium dedisse videtur; vnde ne hoc absurdum accidat, dicendum est, verba generalia arctari, vt non comprehendatur perniciosum concedenti, ex l. si cuius ff. de feruis. Secundo, verba generalia arctantur semper ad solita concedi, ex l. si finit ff. de damno infect. & ad id quod est de iure, vt notat glossa in cap. fin. vers. negotiis, de offic. deleg. sed semper potestas absoluedi cum potestate subdelegandi intelligitur data in personam aliorum, & nemo potest auctoritate seipsum, ex cap. qualiter, de elect. & in generali sermone excipitur persona cui loquimur, qui heredi s. Plautius, ver. at si heres ff. de cond. & demonst. Ergo, &c. etiam dictus Grassius idem asserit de priore habente potestatem à Prælo absoluedi casus referuatos, cum potestate subdelegandi, putat enim, sicut de Vicario Episcopi asseruit, si incidat in aliquem casum referuatum, non posse ab illo, quem ipse subdelegauerit, absolui.

2. His tamen non obstantibus contrariam sententiam docent Vgolinius de potest. Episc. cap. 39. n. 2. & Floronus de cas. referu. part. 1. c. 3. §. 1. n. 3. Nam & Episcopus, si in casum incidit referuatum Romano Pontifici, quo ipse alios absoluerit potest, delegando eam facultatem alteri, ab eo absolui valet, atque ita sacra Cardinalium Congregatio declarauit, Tridentinum Concilium in sess. 24. de referu. c. 6. & ita communiter asserunt Doctores, Maiolus de irregular. lib. 5. c. 2. n. 7. Suarez tom. 4. disp. 41. sect. 2. n. 9. Henriquez lib. 14. c. 18. n. 3. Sayrus de cens. lib. 7. c. 9. n. 5. Riccius in praxi, part. 1. resol. 445. n. 2. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 3. n. 3. & in summa tom. 1. lib. 2. c. 11. num. 11. Bellettus in disquis. cler. part. 1. tit. de disciplina Clericali. §. 1. num. 54. Naldus in summa, ver. casus, n. 6. Emmanuel Sà ver. confessor. num. 16. & alij, quidquid in contrarium asserat Marius Alterius de cens. tom. 2. disp. 8. c. 3. concl. 4. ver. 3. Quæri potest in ordine ad dispensationem, sicut loquuntur etiam multi ex supra citatis Doctores, idem dicendum de dispensatione, ac de absolutione.

3. Nec valet dicere in tali casu, Vicarium seipsum quodammodo absoluerit, cum delegatus delegantis officio fungatur. Nam respondeo, quòd id locum haberet, vbi iurisdicctio delegata est ab eo, cui iurisdicctio competet ordinaria, at Vicarius hic subdelegat, subdelegatus autem fungitur vice primi delegantis, ac perinde est, ac si ipse primò delegans delegasset, quo casu sine dubitatione Vicarius absolui possit. Et idem dicendum est de Priore, qui vt vicarius ab Episcopo talem potestatem habuit à Prælo sui Monasterij; nam si in aliquem casum incidit, potest ab alio Confessario subdelegato, de illo absolutionem obtinere sine licentia Prælati.

4. Sed ponam hic pulchrum dubium, an si subditus petat à Prælo omnem eius auctoritatem pro vna vice, & vna persona sibi subiecta includatur ipse petens, ita vt possit absolui à referuatis ab aliquo Confessario? Videtur affirmatiuè respondendum, si

petens diceret: Est quadam persona, quæ indiget vestra auctoritate, placetne vobis illam mihi dare? Secus autem si diceret: Rogo te, vt des mihi tuam facultatem pro vna persona. Et ratio est, quia in generali sermone comprehenditur etiam persona sua, quando loquens concipit verba in persona alterius, vt patet ex l. Paulus respondit, §. fin. ff. de pignoriibus. Et ita hanc sententiam videtur tenere Floronus vbi supra, ex Grassio, qui tamen contrarium docet. Sed post hæc scripta inueni Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. diff. 64. num. 4. circa præsens dubium sic asserere. [Quando el Prelado concede à vno la auctoridad sin restrincion ninguna, es visto concederla actiua y passiua, que aunque algunos dudan desto, es mas conforme al estilo de la Religion, mientras as el Prelado no declara otra cosa.] Sic ille, & nouissime noster Pater Leone de off. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 6. num. 331. asserit, quòd quando subditus petit facultatem à Superiore pro vna persona pro casibus referuatis, potest vti pro sua persona.

RESOL. LXVIII.

An mortuo Episcopo casus referuati expirant, vt possint absolui à quocumque Confessario?
Et quid, si casus referuati sint per Statutum, vel Synodum Diocesanam; aut qui iure, vel consuetudine ipsi Episcopo referuantur, an absolutio petenda sit à Successore, seu Capitulo, Sede vacante? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 108.

AD hoc dubium ita respondet Præpos. in addit. ad 3. part. quest. 9. de reservatione casuum, dub. 1. n. 6. Cenlet Sà ver. absolutio, n. 21. mortuo Episcopo quemlibet Confessarium posse absolueri à casibus ipsi referuatis, quod non videtur solidum, & primò id non videtur posse dici de referuatis per statutum, cum etiam mortuo Episcopo illud vim suam retinere soleat. Secundo neque de referuatis ab homine, quia per reservationem inferiori sublata est iurisdicctio necessaria ad valorem huius Sacramenti; non potest autem ex iure, vel alio solido fundamento colligi, quòd ea per mortem Episcopi restituantur. Sic ille.

2. Verum hæc doctrina Præpositi admittit ab alijs, quoad casus referuatos per Statutum, vel Synodum Diocesanam; secus autem minimè, & ita docet Gauantus in enchir. Episc. ver. casus referuati, num. 16. Rubens in aphorism. Episc. ver. casus referuati, numero 4. & Pialecius in praxi nouiss. Episcop. part. 2. cap. 1. art. 3. numero 21. vbi ita ait. Casus quos Episcopus sibi referuat, expirant morte ipsius, non verò illi, qui de iure, vel consuetudine ipsi referuantur, neque illi, quos per proprium statutum sibi referuat; cum enim statutum duret post mortem, cap. fin. de offic. leg. referuatio quoque durabit, & absolutio petenda est à successore, seu Capitulo Sede vacante. Hæc ille. Vide etiam Aegidium Trullench in Bull. Cruciat lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 2. num. 6.

RESOL. LXIX.

An, mortuo Episcopo, quilibet Sacerdos possit absolueri à casibus sibi referuatis?
Et quid est dicendum, si casus sint referuati per statutum, vel legem Synodalem?
Et an si in mandatis Visitationum Episcopi referuant sibi aliqua peccata, sine cum excommunicatione sine sine illa, expiret referuatio, mortuo Episcopo?

Cc 3 Idem

& in tom. 7. tr. 1. Ref. 109. §. Norandū. cūsum, in fine. & in Ref. 122. §. 1.

Sup. contēto in hac Ref. in §. 1. & 2. Ref. seq. & quamuis pro Regularibus in to. 7. tr. 1. lege doctrinā Ref. 119.